



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 19. Obedientia est prompta: non excusat se non replicat. Ex Veteri. Ex Novo, & aliis. Motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

hi sunt Schema religiosæ, & perfectæ obedientiæ, hæc enim, quasi velatis oculis, cæca præceptum non discunt; est tota alata, prompte exequendo iussa. Cornelius in l. 6. 2.

Ex Novo, Patribus & aliis.

Turbati sunt, dicentes, quia phantasma est. Matth. 14. 26. S. Chrysol. hom. 51. in Matth. putaverunt esse phantasma, cum visum ipsum non cognovissent; partim propter noctis tenebras, partim quia nunquam auditum fuit, hominem super aquas ambulasse. q. d. sapius viderunt Christum D. alia miracula patrare, demonia pellere &c. nec tamen unquam eum phantasma putarunt. Referunt hic Apostoli plerosque subditos: qui, si viderint aliquid præcipi, aut fieri à Prælati novum, cuius rationem non assequuntur; eum esse phantasma, non verum superiorem, mulcant, reprehendunt; cum tamen in iis verus Christus præcipiat, & operetur. Pinna in Eccl. 8. Ethol. 104.

Accersit Simonem quendam hic hospitat apud Simonem quendam coriarium - hic dicit tibi &c. Act. 10. 5. Vides, ut nihil magnum enuntiet de Petro? non ait, esse petram Ecclesiæ, habere claves regni cælorum, Dei locum in terris tenere &c. sed planè significat esse idem. *Accersit*, inquit, non accede ut ad principem quendam. Quid Cornelius? speravit hominem? imò ut Prælatum observavit: *vocavit duos domesticos suos &c.* v. 7. Mendoza in 1. Reg. 3. 9. Annot. 1. Sect. 1. Perfectus obediens commendatione prælati non eget. Id. ib. initio.

Vera obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium majori subdidit, in hoc solo gaudet; si, quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire. S. Gregor. l. 1. in 1. Reg. c. 3.

Quemadmodum pueri, cum primum literas formare discunt; in præceptorem intenzi sunt; ad quod calamus accommodarunt, libentè, atque obedienti animò notas excipientes: eodem modo, eos quoque, qui ad res divinas perdiscendas se conferunt, earum magistros sequi, atque puerilem simplicitatem, & indubitatum assensum, habere oportet. Isidorus Pelus. ep. 400.

Sapiens nummularius est, imò ipsa sapientia; cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum: nec suscipiet eum, nisi & integer inveniat, & sinè aliquâ falsitate. Nam, si discutimus, si dijudicamus; & in hoc quidem præcepto non obediimus, sed in illo, factus est nummus: non suscipit eum Christus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. S. Bernardus l. 2. in festo S. Andrea.

Obedientia est, nunquam sibi; nè in his quidem, quæ videntur optima, usque ad consummationem vitæ credere. Joan. Clim. gr. 4. de obed.

Species contumaciæ est, de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere, aut differre. In con-

tractu enim obedientiæ non habet disputatio, aut disceptatio, locum. Nam si in discussione, seu suspitionem, ea, quæ sunt tibi mandata, deduxeris; ad lignum scientiæ boni, & mali, manum prævaricationis extendis. Petrus Bles. ep. ad Priorem de Monasteriolo.

Quisquis circa obedientiam ambigit, aut distinguit; lignum scientiæ boni, & mali, in suam perniciem gustare præsumit. Id. ep. 109.

§. XIX.

Obedientia est prompta; non excusat, non replicat.

Ex Veteri.

igitur Abraham de nocte consurgens &c.

Gen. 22. 3. Abraham tam celeriter decrevit iussis cælestibus esse parendum; quam fuerat divinitus imperatum. Verebatur, nè votum mora offenderet, aut iussionem tarditas impediret. Fuit lætus, cum eum (Isaac) acciperet; lætior, cum immolandum eum postularet. S. Chrysol. S. de fide Abraham. Non contristat frontem devotissimus Abraham; nec dolor patri lacrymas persuasit; sed exultat, & gaudet. Nec timuit, nè parricidium ei imputaretur; sed magis, ut devotioni pareret: lætatur hoc iussisse Deum. S. Zeno Veron. l. 1. de Abrah. O qui servum Domini ita se esse meminerat, ut patrem se esse nesciret. Quid est pater? ecce sub oculis jacet filius vinculis astrictus. Ubi sunt lacrymæ? ubi dolor, qui in humanis sensibus versari consuevit? In tantis filii casibus lætatur, & gaudet; & se Dominum promeruisse, triumphat. à filio ad agnum transtulit dexteram, semper lætatur, & gaudens. Id. ib. Charissimi membra, quæ osculis premere consueverat, armatus gladiò iubetur occidere. Idem. ibid.

Abraham, Abraham, - non extendas manum &c. Gen. 22. 11. 12. Obedientia perfectior, quæ ad jucunda cunctantior, ad aspera celerior. *Tolle filium tuum &c.* non exhorruit præceptum, obsequium gemitibus non fœdavit; sed lætatur, hoc iussisse Deum. Angelus multiplicat præcepta: *non extendas manum tuam, neque facias illi quidquam.* Si unica præceptio, tolle filium tuum, satis fuit ad sacrificium parandum, quid non sufficiat ad innocentem solvendum? O eximiam obedientiam! semel imperat mactationem, bis inclinat libertatem: ad aspera frangit, ad dulcia calcari egerit. Naxera in Jos. 22. §. 3.

Revertere, & dormi. 1. Reg. 3. 5. Samuel singulariter obediens fuit: quia minore vi eguit, ut extraheretur è lecto; quam ut ad lectum reduceretur. Nam, ut extraheretur, satis fuit nominari Samuel sinè præcepto veni. At verò, ut reduceretur, imperio opus fuit, *revertere*: quò enim promptior erat ad laborem, quam quietem; eò minore vi ad laborem subeundum, quam ad quietem repetendam, egebat. Optimus Abrahæ imitator: quem ut Deus ad immolandum filium excitaret, etiam dormientem, nullis clamoribus usus est; sed placidâ voce dixit ad eum: *Abraham, Abraham.*

Gen. 22. 1. Ut autem à jugulando filio revocaretur, etiam ad vigilantem *de caelo clamavit*. v. 11. minus enim calcar ad difficilia, quam ad facilia præcepta exequenda requirebat. Mendoza in 1. Reg. 3. 6.

Vocans ab Oriente avem, & de terra longinquæ virum voluntatis meæ. II. 46. 11. Oleaster: quâ velocitate debeamus exequi mandata Dei nostri, pulchrè hîc locò admone-mur. Gentilis erat Cyrus, non audierat unquam, quis esset Deus Israel; & tamen non ad vocem, sed ad aspirationem, velut avis, volat ad eum.

Ex Novo, & aliis.

Ter apparet Angelus S. Josepho, monens eum de rebus gravissimis, semper in somnis. 1. de altissimo Incarnationis mysterio. Matth. 1. 20. *noli timere, accipere Mariam*. 2. de fuga in Ægyptum. Matt. 2. 13. & 20. de reversione in terram Israel. Cur semper in somnis, & non aliquando in vigilia? S. Paschas. l. 1. in Matth. ut commendaretur obedientia Joseph. Nam, licet iusta omnem humanum captum transcenderent, obedienti tamen sufficiens fuit levis insinuatio, etiam per somnum; ad captivandum intellectum cum diligenti operum executione. Sylveira in Act. 16. 9.

Euntes in Mundum universum predicatè. Marci 16. 15. Nullus Apostolorum orbis plagas noverat; nullus tamen excusat; omnes obediunt voci Christi. Gallfridus in allegoriis: in universum Mundum mittit eos, qui vix unam noverant regionem; nec tamen fuit illis dicere: Babylonem non vidi, & locum nescio. Alvarez in Gen. 37. 13. Illustr. 57.

Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum. Joan. 11. 29. Non querit à sorore, quid Christus ab illa velit? sed vocata *surgit citò*, moxque se in viam dat: nec præfatur ad eos, qui solandi causâ ad eam venerant, licet essent honorati viri. Amore vulnerata ob-visitur urbanitatis; &, nacta Christi præsentiam, omnia humana, & temporalia, præterit. Sylveira hîc c. 35.

Lazarus *prodiit è sepulchro ligatus manus, & pedes*. Joan. 11. 44. Ut promptius obediret, nec prius nodos solvit, nè moram in obediendo faceret. Jonghen pro Sac. profess. Exh. 30.

Cùm sonitum pulsantis audierint, ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis quisque prorumpit: ita ut is, qui opus scripseris exerceat, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non Audeat. Joan. Cass. de cœnob. Just. l. 4. c. 12. de obed. Monachor.

Motiva.

Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Gen. 41. 40. Hebr. *omnis populus ad os tuum osculabitur*. id est, oris tui præceptum exosculabitur, & venerabitur, ac libenter obediet. Cornelius hîc.

Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus &c. Cant. 2. 8. Cùm audieris voces ejus, præcepta scilicet, & consilia, veni ad obediendum, & exequendum celeriter; sinò tædiò, saliens, ut caprea, & hinnulus: quia

nihil Christo gratius, quam celer, hilarisq; obedientia de Ponte hic Exh. 4. §. 5.

Factum est verbum Domini in manu Aggæi. 1. 1. *Onus verbi Domini in manu Malachie*. 1. 1. *Que locutus est in manu Jeremie* 37. 2. *Dominus sedit, quod locutus est in manu servi sui Elie*. 4. Reg. 10. 10. Pensa, vocem Dei exceptam manu prophetica, non aure. Hieronymus in Malach. manum pro operibus accipie; unde in manu Aggæi, & in manu Jeremie; factus est sermo Domini. Velloso in Judith 5. Par. 18. mora in obediendo foeda.

Stillabo eis, & congregabo illos; quia redemi eos. Zach. 10. 8. Stephanus Cant. in Allegor. Godefridi Tilman: quasi solò sibilò opus sit, non prædicationis tubâ. Sylveira in Luc. 18. 27. cap. 31.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. Quid est, neminem salutatis in via? quia iussit nos festinanter agere injuncta. Et hoc ita dixit: *neminem &c.* tanquam diceret: omnia prætermittatis; dum, quod injunctum est, peragatis. S. August. l. 1. de Apoft.

Oves meæ vocem meam audiunt. Joan. 10. 27. Cur Christus D. in suis ovibus non commendat, quòd lac, vel lanam, præbeant? sed quòd vocem ejus audiant, & ipsum sequantur? R. quia maximè in subditis commendatur obedientia. Et *vocem meam*, inquit, audiunt, non voces: quia non egent duabus, ut sæpius illis quidpiam mandetur. Sylveira hîc q. 6.

Cum quali affectu obedire oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur? eò affecta, quòd esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti. S. Basilus Reg. de inf. Mon. c. 46. de perf. subjeet.

§. XX.

Obedientia quibus mediis reddatur facilis.

Nemo melius alicui obtemperat, quam qui ex charitate obsequitur. S. Ambros. in ep. ad Eph. c. 1.

Obedientia permulta diligens unum, quamvis multa perficiat, propter unum, & diversa injuncta reputat unum; & diversos præceptores, quæ Dei sunt, præcipientes, existimat Dominum unum; & omnia reducit in unum: præcepta decem, & duo, reducit in unum: quia una est cum uno, ut in æternum fruatur unò. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Ut proficeretur cum Maria &c. Luc. 2. 3. Si in cardines portæ strepentes, dum aperitur, & clauditur, oleum diffuderis, nihil postea audies. Amor divinus in obedientia omnia reddit facilia. Stella hîc.

§. XXI.

Indifferentia ad locum, & officia.

Num. 1.

Symbola.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Flos campi modò regitur, & regibus blanditur; modò premitur, & vel pecudi pro fœno est. Ad omnia,